

305.

II 75.

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.*(Zürich.) 1522. Februar 6.*

Seine Ehe mit Barbara (Agathe von Fynland aus dem Elsass). Missverhältnis zu den Eltern. Klagen über seine unglückliche Lage. Die Ausgabe des Pomponius von Kratander Dringliche Einladung, nach Zürich zu kommen.

S(alutem). Pater abest his diebus octo iam; ego dudum duxi Barbaram utinam meam. Confessus sum primum Iano nostro Vartzio, mox domino doctori Engelhardo aliisque quibusdam, qui intercessionem promiserunt, cum pater redierit. Mater perpetuis lacrimis^{a)} sese irrigat; immodesta est in me, homuncionem omnium calamitosissimum, Si pater eisdem modis me tractare perget et illa suo more vivet, Conradum in his regionibus postremum^{b)} videris. O mi Vadiane! si scias, quam vix morer apud me cognoscentes, quam sim omnibus ærumnis expositus, quam nusquam fides sit, si ego admovear. Statueram exilium eligere, nisi canities parentis avocasset a proposito. In his itaque rebus duo hæc vota mea sunt: ut extreme indignantur, ut parentes exuant parentes mei atque proscribant, quo velint. Felix^{c)} non potero esse ex aliqua parte, si hæc non fient. Adesto, meum solatium, mi Vadiane, ut Conradum tuum vel solatio iuves, ne me ipsum vel exilio vel mentulæ excisione puniam. Adesto, ut ocellos meos a continuis lacrimis^{a)}, cor ab incessabilibus calamitatibus liberet aliquandiu. Coram infinita. Pomponios quattuor ab Andrea Cratandro, ut puto, missos, cui tradam nescio. Perplacent; gaudebis, credo, ubi accipies. Quin ipse affers, nunciorum omnium, quotquot agunt, charissime. Veni cum sorore, adsunt Wirtziae Dorothea et Margaretha. Nemo est, qui vos non expectet, præsertim ex nostris. Ibumus ad Erasmus. Vale felicissime^{d)}. VI Februarii, anno 1522.

Conradus Grebelius,

nisi venias, Vadiani perduellis.

Domino doctori Ioa chimo Vadiano, viro undecunque clarissimo, affini charissimo.

a) „lachrymis“. — b) „postremum“. — c) „foelix“. — d) „foel“.

1) Vrgl. I, Register.